EX PHYSICIS
De
ORTU AVIS BRITANNICÆ,

PRÆSIDE

M. JOHAN. ERNESTO Hering/ DRESD.

publicam ſententiarum collationem inſtituet

JOHANNES Junghans/ Dresdâ Miſnicus,

Die XXV. Jan. Horis matutinis,

In Auditorio Minori.

WITTEBERGÆ,
LITERIS MICHAELIS Wendt/
ANNO M. DC. LXV.

J. J.

§. 1.

TAntâ rerum varietate eaque maximè admirabili ſeſe oſtendit fœcundisſima Mater Natura, ut indagandi cupidus animus ad ejus intuitum meritò obſtupeſcat, atq; dubius hæreat, qvò primùm dirigat oculos. Adſpiciat qvis vel media, vel infima, vel ſupera, & qvicqvid vel antrorſum, vel retrorſum delitеſcit, contempletur, non poterit, qvin tacito qvodam amoris affectu jucundisſimam illam & inſigniter ordinatam Naturæ varietatem veneretur. Suſpiciat enim homo Cœlum, & erectos tollat vultûs, videbit ibi ſtellas, lucidisſimas ſuperioris mundi faculas; juxta ſe videat, & aërem ſentiet, in eoq; genus omne volantum deprehendet; infra ſe dimittat oculos, & tot gresſilium, reptilium, aliarumqve rerum, qvas Natura liberalisſima promoconda exhibet, animadvertet ſpecies, in qvibus omnibus admirandis & dilaudandis tantò longiùs detinetur hominum animus, qvantò major earundem eſt copia, qvantoq; pulchriùs atq; ornatiùs à ſapientisſimo Opifice ſingulæ ſunt effabricatæ.

§. 2. Qvemadmodum verò plurima, eaq; pulcherrima ſuo ambitu fovere cernimus Naturam, ita profundisſima etiam & cognitu difficillima eam ipſam nobis ſiſtere deprehendimus, qvotiescunqve per Naturæ occulta ire ſuſcipimus. Hinc non adeò mirum eſt, qvòd, in iis indagandis, ſæpisſimè â vero aberraverit, & adhuc aberret humanus intellectus, qvippe cujus eſt, facillimè & præprimis in illis, qvæ abſtruſiori ſeſe nobis offerunt vultu, cognoſcendis, â veritate longiùs recedere. Non tamen propterea veritatis indagatio penitùs rejicienda eſt, ſed inſiſtendum fortiùs, qvo demum veritatem obtineamus, obtentam verò retineamus atq; vindicemus. Occupabimur ergò & nos jamjam in eâdem obtinendâ & vindicandâ.

§. 3. Jamdudum animis hominum illa inſedit opinio, *ac ſi exiſtat avis, qvæ non á ſui ſimili, per coitum, more reliquarum, progeneretur, ſed aliâ qvadam progeneratione, qvæ æqvivocam maximè reſpicit, proveniat.* Circa qvod negotium, illud primò obſervare licet, qvòd nondum nobis ſatis liqvidò conſtet, an iſta avis anſeris, an anatis naturam habeat, qvis locus natalis ei tribuendus, & qvâ formâ vel habitudine corporis gaudeat. Tantum enim abeſt, ut in deſcriptione avis Britannicæ conveniant Autores, ut potiùs longisſimè â ſe invicem disſideant, adeoq; ſuſpicandi occaſionem facilè præbeant, aut confiɛta omnia, aut plurima fabuloſis nixa eſſe fundamentis. Sic *Boëthius, Münſterus, Bellonius, Ortelius, Turnerus*, aliiq; qvamplures ad *anſerum* genus illam avem referunt; *Olaus* contra, *Sylvius, Scaliger, Porta, Kircherus* & *Löbelius anatem* vel *congenerem* avem eſſe aſſeverant. Sic *locus* natalium apud Autores incertus atq; dubius eſt, dum alii *Hyberniam*, alii *Hebrides Inſulas*, alij *Orcades*, alii *totum Oceanum circa Scotiam*, alii *Tameſim fluvium Angliæ* nominant, ut reliqvas taceamus, qvas apud Hiſtoricos obſervarunt diſcrepantias ſeduli rerum indagatores.

§. 4. Hæc omnia, qvùm experientiâ magis, qvàm ratione nitantur, â nobis in medio relinqvuntur, utpote qvibus non datum eſt oculis noſtris & obſervatione propriâ eam rem explorare, qvamvis illis præ reliqvis fidem adhibendam eſſe putamus, qvi oculis ſuis avem illam ſeſe vidiſſe affirmant, eamqve ad vivum delineare, & graphicè deſcribere ſuſceperunt. Hoc ſaltem certisſimum judicamus, dari ejusmodi avem peculiarem, circa *Inſulas Britannicas*, qvibus *Angliam, Scotiam, Hyberniam, Hebrides, Orcades, & qvicqvid in Calcedonio mari circa jam dictas Inſulas ſparſum eſt*, intelligimus, cujus ortus genuinus â multis imò plurimis ignoratus eſt hactenus, & forſitan adhuc ignoratur, & qvæ propterea inter mirabilia animalium volatilium refertur *á P. Schotto in Phyſ. Curioſâ.* Iſtiusmodi enim avis peculiaris exiſtentiam probant tot & variæ hiſtoriæ, qvas omnes in dubium nemo vocabit, vel prorſùs confictas eſſe judicabit, qvi, qvantum hiſtoricæ fidei tribuendum ſit, ſecum cogitaverit. Nec diverſitas ſententiarum, qvoad ſubſtantiam, nomen, locum, vel etiam modum originis ipſi exiſtentiæ præjudi-

judicare poteſt. Si diverſitas illa tale inferret præjudicium, certè res etiam illæ, de qvarum exiſtentia nemo dubitat, negandæ forent, qvùm plurimarum hiſtoria ita comparata ſit, ut â diverſis diverſimodè tradatur. Poſito nunc eo, qvòd detur talis avis, de qva tanqvàm peculiari gloriatur *Britannia*, & qvam ea propter generali nomine *Britannicam* vocare maluimus, qvàm ſpecialiori, eamq; adhuc controverſam urgere denominationem, in præſentiarum ejusdem ortum inveſtigabimus, & videbimus, qvid ſapientisſimus Naturæ liber nos aſſerere jubeat, cui qvid contrarium ſtatuere nullius eſſe arbitramur.

§. 5. Qvod igitur noſtrum attinet inſtitutum, initiò ſtatim eorum referemus ſententias, qvi putant absqve coitu avem Britannicam generari, ideoq; varios iſtius generationis modos adducunt. *Nonnulli* ſtatuunt *ex ligno creſcere illam avem vel de arboribus procreari*, ubi tamen hujus ſententiæ aſſertores in eo diſcrepant, qvòd qvidam ſtatuant, *aves ejusmodi ligno aqvis marinis injecto, demum progenerari*; qvidam verò dicant, *aves iſtas roſtris infixis arboribus dependere, tempore maturitatis decidere, ac per incrementa proficientes, ſicut aves cæteræ, volare incipere.* Priori modo rem explicat *Olaus Magnus* l. 14. hiſt. Septentrion. c. 9. *Sebaſt. Münſter.* l. 2. Coſmograph. c. de fertilit. Angl. & Scot. qvi ita ſcribit: *In Scotia reperiuntur arbores, qvæ producunt fructum foliis conglomeratum, & is cum opportuno tempore decidit in ſubjectam aqvam, reviviſcit, convertiturq; in avem vivam, qvam vocant anſerem arboreum. Creſcit & hæc arbor in Inſula Pomonia, qvæ haud procul abeſt â Scotia verſus Aqvilonem. Veteres qvoq; Coſmographi, præſertim Saxo Grammaticus, mentionem faciunt hujus arboris, ne putes eſſe figmentum â novis Scriptoribus excogitatum* Poſteriorem modum tradit *Jacobus Aconenſis*, qvi dicit, *qvòd arbores ſint ſuper ripas maris, de qvibus hæ ſc. aves procreentur roſtris infixis arboribus dependentes, tempore verò maturitatis decidant, &c.* Addit verò *Aconenſis*, qvòd, niſi citò âqvas invenerint, vivere non posſint, qvoniam in aqvis eſt nutrimentum earum, & vita. *Notandum autem*, pergit laudatus Vir, *qvòd non ramorum ſummitatibus, ſed in arborum corticibus ac ſtipitibus pendent. Creſcunt autem arboris humore & infuſione, donec habentes*

 plu-

plumas ac robur, inde corticibus abrumpantur. De his itaq; certum eſt, qvòd in orbe noſtro circa Germaniam exiſtant, nec per coitum generentur. Sed nec earum coitum apud nos ullus hominum vidit. Huc abit & *Odoricus Utinenſis*, qvi referente *Ramuſio* & ex eo *Schotto loc. cit.* p. 1143 indubitato aſſerit *in regno Scotiæ & Angliæ arbores eſſe, qvæ producunt poma violacea & rotunda adinſtar cucurbitæ, à qvibus natum exit avis. Et hoc magis ſeſe credere,* ait, *Odoricus, qvum audiverit à Magnatibus & fide dignis, qvàm ſi propriis ſuis oculis vidiſſet.* Sic *Fulgoſius Genuenſium Dux*, referente *Nierembergio l. 3. hiſtor. natur. c. 5.* aſſerit, *in Inſulis Hyberniæ, qvas Orcadas vocant, & in ea ſpeciatim, qvam nunc appellant Irlandam, in locis, qvæ mare alluit, arbores ſalicibus perſimiles naſci, in qvibus ortæ parvæ qvædam pilæ paulatim creſcendo in aves anatum formas habentes effigiantur roſtro ab arboribus pendentes, & , cùm ad maturitatem pervenerint ſui ipſarum nixu arboribus excuſſæ in mare decidunt, atq; evolant.* Hi omnes modò adducti Autores arboribus vim producendi aves attribuunt, qvorum ſententiam approbat *Nieremberg. loc. alleg.* Hic enim ut probet, plantas aliqvas generare animalia, multa adducit exempla, & inter alia ortu Berniclarum ex arboribus, multorum autoritate probato, illud, qvod ſemel ſtatuerat, firmiùs ſtabilire ſatagit, hinc ita concludit: *Ita ergò ex plantis viventibus plurima naſcuntur animalia.*

§. 6. Alii aliter rem explicant. Nam etſi concedant in lignis ſeu arboribus & qvidem in mare projectis generationem iſtarum avium fieri, malunt tamen *vim procreandi ipſi mari tribuere qvàm arboribus.* Hanc ſententiam ſuam facit *Hector Boëthius in deſcript. Regni Scot.* qvam præmittit Scotorum hiſtoriæ: *Reſtat,* inqvit, *de anſeribus, qvos Clakis appellant (Scoti) qvos q; vulgi perperàm in arboribus naſci in his inſulis* (reprehendit illos, qvi dicunt aves in ipſis arboribus inſtar pomorum creſcere) *credunt, ea, qvæ hujus rei cognoſcendæ multo jam tempore ſtudioſi, re diligenter exploratâ perſpectâq; cognovimus, diſſerere; Mari enim illis interjecto mihi magis eorum procreandi vis qvædam ineſſe videtur, qvàm alicui alii rei. Variis enim modis, verum in mari ſemper, provenire conſpeximus. Etenim ſi lignum in mare id projicitur, temporis tractu primùm in eo vermes, excavato ligno, naſcuntur, qvi ſen-*

enſim, enatis capite, pedibus atq; alis, plumas poſtremo edunt; demum anſeribus magnitudine æqvales, cùm ad juſtam pervenerint qvantitatem, cœlum petunt, avium reliqvarum more, remigio alarum per aëra delati. Qvam rem *Boethius* l cit. adductâ hiſtoriâ, qvam in Buthqvhania contigiſſe dicit, ulterius proſeqvitur, & poſtqvàm exemplo probavit, etiam in conchis, algis marinis incluſis, iſtam avem progenerari, concludit: *Hâc enim re ſatis conſtare arbitror, non hæc procreandarum avium ſemina aut truncis aut arborum ineſſe fructibus, ſed ipſi Oceano, qvem Maro & Homerus patrem rerum haud temerè appellavit. Verùm qvoniam id fieri videbant, cadentibus in aqvam arborum ad littus poſitarum pomis, ut temporis tractu ex illis eæ apparerent volucres alites, in eam ſententiam adducti ſunt, ut poma illa in ipſas commutari opinarentur; ſed falsò: nam tempore adnatis ex vi maris primum vermibus, atq; iis ſenſim excreſcentibus, viciſſimq; pomis illis ex humiditate corruptis, diſparentibusq; non ſatis accuratè perſpicientibus, ex illis in has transmutari formas viſæ ſunt:* Conſentit cum Boëthio *Abrahamus Ortelius, Theatr. Orb. terr. in deſcript. Scotiæ.*

§. 7. Qvod verò *Boëthius* de conchis retulit, qvòd in iis anſeris Britannici perficiatur generatio, id qvoq; tradit *Matthias Lobelius in obſerv. ſtirpium, ap. Anton. Deuſingium diſſert. de Anſerib. Scot. num. 44. p. 608. faſcic. ſelect.* In eo tamen â Boëthio diſcrepat, qvòd vim producendi mari, qvantum ex verbis ejus perſpicere eſt, minimè tribuat. Illas conchas, qvas non ſolum ex Scotia, ſed etiam ad Tameſim amnem, qvæ Londinum præterfluit, pediculo rugoſo craſſiore ê navis annoſâ carinâ avulſas perhibet, & valdè puſillas, circinatæ ferè rotunditatis, foris albidas, lucidas, leves, tenuitatem teſtæ ovaceæ fragilem, biforem, mituli more præferentes, nuci amygdalæ compreſſæ pares teſtatur pendulas fuiſſe ad imum ventricoſæ navium carinæ, muſco & limo ſemiputridæ, ſingulas mediante qvaſi fungi pedicello, parte alterâ carinæ innato, alterâ latiuſculè conchæ baſi inſerto, qvaſi vitam alimoniamq; inde ſugerent aviculæ, qvarum rudimenta ê ſumma parte conchæ hiulcæ conſpicerentur, pediculos autem illos ê vermiculis prognatos eſſe, qvod alii volunt, ſe non potuiſſe ſcire, qvin imò ne credere qvidem profitetur. Ex ejusmodi autem conchulis

avi-

aviculas excludi aſſerit, qvæ in anatem aut congenerem avem adoleſcant. In eandem ſententiam de conchis, qvæ avem excludant, abit *Michael Mayerus in tract. de volucri arboreâ cap.3.* cujus verba, qvibus ortum concharum exponit, videri poſſunt ap. *Schott.* l.cit.p.1147.& ſeqq.& commemorat Schottus, qvòd in eod.tr. diſqvirat Mayerus de cauſa efficiente, materiali, formali & finali, hinc gratisſimum nobis fuiſſet, ſi copia ejus nobis potuiſſet fieri, qvò licuiſſet ſententiam Mayeri exactiùs perſpicere, cuinam vim productivam ejusmodi concharum adſcribat, qvamvis ex teſtimonio Schotti certum ſit, illum Mayerum nulli ſententiæ, qvæ vim productivam vel lignis ejus regionis vel arboribus vel vermibus ex ligno generatis asſignat, ſi ſingulæ per ſe & ſeparatim ſumantur, aſſenſum præbere. Opinioni de conchis anatiferis fidem facit ea, qvam ſingularis miraculi appellat, hiſtoria, qvamq; in Exerc. LIX. in fine ſubtexuit Scaliger: *Allata eſt Franciſco Regi concha non admodùm magna, cum aviculâ intus pene perfectâ, alarum faſtigiis, roſtro, pedibus, hærente extremis oris oſtracij. Viri docti, qvorum ille pię parens fuit ſimul & munificentiſſimus Obſervator, mutatum in aviculam oſtreum ipſum exiſtimarunt.*

§. 8. Qvemadmodùm nunc *alii virtutem producendi avem Britannicam,* qvam vel in arboribus creſcere, vel in lignis mari injectis provenire vel in conchis lignis adhærentibus generari autumant, *tùm ipſis arboribus, tùm mari, tùm vermibus, in avem poſtea mutatis, qvos vermes tamen etiam ſponte ortos putant, aſſcribunt,* ita alii reperiuntur, qvi putredinem in partes trahunt, & poſtqvàm in lignis paulatim putreſcentibus avem illam oriri dixerunt, totam ejus generationem putredini acceptam referre videntur, imo certisſimè referunt. Hoc enim teſtatur *Aldrovandus l.19. Ornithologia c.23.* dum ait: *Eſt itaq; profectò aſſirmantium ejusmodi monſtroſam generationem Auctorum, eorumq; magni nominis, ingens multitudo, adeò, ut contra ſentire nefas eſſe videatur. Verumtamen, cùm alii aliter de hoc ortu ſcribant & in multis invicem adverſentur, dum alii ex putredine lignorum, alii ex fructibus in mare decidentibus, alii ex conchis naſci malint, alii aqva marina illius regionis eam vim tribuant, adhuc meum judicium cohibeo. Malim tamen cum pluribus errare qvàm tot Scriptoribus cla-*

riſſimis

riſſimis oblatrare, qvibus præter id, qvod de Ephemero dictum eſt, favet etiam, qvod eſt ab Ariſtotele proditum, genus ſc. tiſtarum qvoddam navigiis, putreſcente fece ſpumoſâ, adnaſci. Sic *Joh. Baptiſta Porta l. 2. Mag. Natural. c. 3.* poſtqvàm retuliſſet ſententiam Olai Magni aliorumq; ſubjungit demum illam, qvâ ſtatuitur, *avem Britannicam è lignorũ putrefactione oriri.* Hanc ſententiam amplecti non immeritò cenſendus eſt *Turnerus Anglus ap. Geſner. l. 3. de avibus (v. Schott. l. cit. p. 1143.)* qvando Berniclarũ hiſtoriam tradens hunc in modum loqvitur: *Cùm ad certum tempus malus navis in mari computruit aut tabulæ aut antennæ abiegnæ, inde à principio veluti fungi erumpunt, in qvibus temporis progreſſu manifeſtas avium figuras cernere licebit, deinde plumis veſtitas, poſtremò vivas & volantes: Et in Ep. ad Geſnerum: Bruntas ſeu Berniclas ex putridis navis malis, fungorum more, naſci, minimè fabuloſum eſſe, doctorum & honeſtorum virorum oculata fides mihi perſvaſit.* Cum qvibus conveniunt, qvæ *Alexander ab Alexandro Genial. dier. l. 4. c. 9.* ſcribit, ſe ſc. inter mirabilia Britanniæ & hoc audiviſſe, ſæpè malos & navum carinas vetuſtate tabeſcentes, ad littora expoſitos & diutinâ aqvâ madefactos, qvosdam veluti fungos brevi pediculo juxta aqvas gignere paulatimqve adoleſcere inter fluctûs, lapſisq; diebꝰ etiam moveri, interjecto deinde tempore, fungos ejusmodi ita genitos â trunco ſponte evelli, mox alis emiſſis, & penniculis enatis evolare, veſciq; piſcibus litoralibus, perq; mare paſſim enatare. Ubi, qvando dicitur, *aves inſtar vel more fungorũ ex putridis lignis provenire,* nihil aliud inſinuatur, qvàm qvòd putredo iſtas producat, qvùm notum ſit, plurimos imò omnes, qvi à parte Ariſtotelis ſtant, ſtatuere, fungos ex putredine oriri. Circa Turneri a. ſententiam hoc obiter notamus, qvòd *Bruntas ſ. Berniclas,* qvas more fungorum ex putridis lignis naſci dixerat, diverſas faciat ab illis, qvæ ex arboribus naſcantur. Dicit n.: *Præter Bruntam aut Berniclam, eſt alia avis, qvæ originem arbori refert acceptam. Arbores ſunt in Scotia ad littus maris creſcentes, è qvibus prodeunt veluti fungi parvi primùm informes, poſteà paulatim integram avis formam acqvirunt, perfectæ tandem magnitudinis illæ, roſtro aliqvantiſper pendent, paulò poſt in aqvam decidunt, & tum demum vivunt.* Qvæ opinio *Turnero* ſuborta eſſe videtur ex aliâ atqve aliâ ortûs avis Britannicæ perceptione.

§. 9. Alii, qvùm videant, rem eſſe maximè intricatam, fluctuoſâ

 animi

animi jactantur dubitatione. *Conrad. Geſnerus l.3. de Avibus tit. de Branta, l Bernicla*, aliorum tantùm adducit ſententias, qvæ a. ſui ipſius hâc de re ſit opinio, exactius proponere haut auſus eſt, nihilq; hic novi præſtat, qvàm ut binas figuras maſculi & fœminæ, qvas ſibi â Doctiſsimo, ut vocat, *Johanne Ferrerio Pedomontano. Præſtantiſſimi apud Scotos Viri Henrici â Claro liberalitate*, miſſas eſſe dicit, apponat, ex qvibus videre eſt, maſculum habere roſtrum acutius, fœmellam obtuſius. Iconem unius exhibet *Schottus l.cit.p. 1148.* cujus operâ in adducendis hactenus aliorum ſententiis multum nos ſublevatos eſſe, ingenuè fatemur. *Ulyſſes Aldrovandus l.cit.* poſtqvàm dedit formam, deſcriptionem & locum Brantarum ſ. Berniclarum, earundem originem & ortum dubium relinqvit, dum, variis aliorum ſententiis recitatis, ſuum judicium retinet, qvamvis ex anteà citatis ejusdem verbis conjicere qvis poſſet, eum omnium potiſsimùm in illorum aſſertionem aſſentire, qvi putredini generationem iſtam attribuunt, ita ut effectivè ab eâ procedat. Dubius qvoq; eſt *Johannes Jonſtonus*. Licet n. *Thaumatol. cl.6.c.7.* dicat, evidentiſsimum videri, qvòd de dictis avibus longo orationis tractu tradidit Boethius, in fine tamen capitis judicium lectori relinqvit & Dei potentiam veneratur. Sic *in Hiſtor. Natur. de Avibus p.49.* de his avibus noſtris brevisſimè agit & tantùm aliorum inſinuat ſententias, nihil de ſuo adjiciens.

§. 10. Hactenus recenſuimus, qvid aliis de ortu Avis Britannicæ videatur, nunc de eorum ſententiis breviter, & quantum inſtituti noſtri fert ratio, diſpiciemus. Qvod igitur attinet illam, qvam primô locô poſuimus, *opinionem*, & qvæ originem avis iſtius, de qvâ nobis hic ſermo eſt, *ad arbores refert*, ita ut non tantùm in illis, ſed & ab illis principaliter proveniant, nos qvidem dicimus, nec renuente, uti ſperamus, ipſâ veritate, eandem minimè recipiendam eſſe. Contrarium n. docet *1. benedictio divina* qvæ plantis & brutis non promiſcuum qvemlibet asſignavit ortum, ſed potiùs voluit, ut plantæ ſui ſimiles ſecundùm ſpeciem ſuam progenerent, nec minùs bruta ſeſe multiplicent ſecundùm ſpeciem ſuam. *Dixit DEus: Germinet terra germen, herbam ſeminificantem ſemen, arborem fructiferam, facientem fructum ſpeciei ſuæ, cujus ſemen in eâ ſuper terram. Et ita fuit. Et protulit terra germen, herbam ſeminificantem ſemen in ſua ſpecie & arborem facientem fructum*

cujus

cujus ſemen in eâ in ſpecie ſuâ. Ubi de Germine ſeu Plantâ tanqvàm genere ſermo eſt, ſub qvo gemin. ſpecies continetur, Herbæ & Arbores. De utraq; verò dicitur primò, qvòd geſtet ſemen ſuum ſecum, ut ita non naſcatur ſponte absqve ſemine, deinde, qvòd multiplicare ſe debeat juxta ſuam ſpeciem, atqve ita ſpecifica ſimilitudo intercedat inter cauſam & effectum, qvæ ſimilitudo ſpecifica non ſtabit juxta illos, qvi dicunt, plantas progenerare aves, ſed potiùs ingens ſpecierum naturalium orietur confuſio, â qva providentisſima Mater Natura, legibus divinæ providentiæ benè munita, vehementisſimè abhorret: *2. in ejusmodi avibus datur anima ſenſitiva,* qvâ ſenſibilia cognoſcunt, ſalutaria appetunt & locomoventur, qvemadmodum omnia bruta præter vegetativam ſenſitivâ qvoq; gaudent animâ. Qværitur nunc, unde aves iſtæ ſuam habeant ſenſitivam animam? Non aliter poterit dici, qvàm qvòd â ſuâ cauſâ acceperint effectrici, qvæ ſecundùm nonnullos ſuprà citatos Autores arbores ſunt: Qvomodò autem, qvæſo, planta qvædam animâ ſenſitivâ prorſus deſtituta producet effectum, in qvo præſtantisſima illa anima exiſtit, ſuasq; operationes luculentisſimè edit. Qvod qvis non habet alteri communicare non poteſt, tritisſimum habet Axioma. Placent, qvæ *B. Franz. p. 2. c. 20. hiſtor. anim. p. m. 360.* habet, *Qvod ſæpiùs,* inqviens, *in hoc tractatu monuimus, ſine dubio, nullum animal, nullum animalculum, qvantumvis minimorum minimum aliter producitur, qvàm ex coitu, poſt qvàm minima vel ovulum vel ovulo aliqvid ἀνάλογον pariunt & in loca ſibi commoda viſa, præſertim putreſcentia tanqvam mollia & ſimul humida, ut & pabulis & nidis uſum præbeant illa, foventq; vel foveri ſinant. Exempla pulicum, pediculorum, vermium & multorum aliorum hoc ad oculum docebunt. Nunqvam igitur firmiter potui perſvaderi anſeres ex arboribus naſci.* Nec hiſtoriæ ſuprà commemoratæ tanti momenti ſunt, ut nos ad opinionem, qvæ arboribus vim procreandi Avem Britannicam asſignant, comprobandam adducant. Nam primò hiſtoriis illis alias hiſtorias, qvas infrà adducemus, opponere poſſumus. Deinde, poſito, qvòd aves ejusmodi conſpectæ ſint vel in lignis in mare projectis exoriri, vel ex arboribus ſupra ripam maris ſitis, roſtris dependere, non tamen earum ortus ipſis arboribus deferendus eſt. Potuit ſemen avis ſpecificum in iſtis lignis ſive arboribus, ovis fractis, diffundi, ex

 qvo

qvo ſemine deinceps novus fœtus prodiit, poſtqvàm calori ſolari expoſitus, & demum perfectus in mari, naturam ſuam proſecutus eſt & pabulum: Vel potuit etiam ejusmodi avis in arboribus excludi, eò qvòd qvaſi nidum Natura his arboribus dedit, ut imponant arborum frondibus adhæſura ova, qvibus & ipſi pulli excluſi, ad tempus certum, adhæreant.

§. 11. Circa *Hectoris Boethii* opinionem, qvâ *mari ſeu aqva* potius in mari, qvod loca Britannica circumfluit, vim atq; virtutem Berniclam (nominare ita avem noſtram cum aliis nobis liceat) producendi, asſcribere non dubitat, obſervare juvat, nos neutiqvàm negare, ſemina & ova in mari iſto contineri poſſe, ex qvibus Anſeres, uti plerumq; aliàs vocantur, Scotici naſcantur, modò verum ſit, qvòd hæ aves ullo modò in mari proveniant. Oviparorum n. ſemina ſpiritûs paulò tenaciores habent & diutiùs eos retinent, qvippe non tàm rara ac pervia, ſed putamine ac cruſtâ obducta ſunt, in qvibus anima jam dudum â ſui ſimili progenita ad egregium tempus perdurare poteſt, etiam anteqvàm actum ſecundum edat, uti ſub terris, in incrementis ita in aqvis. Huc referenda ſunt illa, qvæ *Celeberr. Dn. D. Sennertus b. m. hypomn. V. c 2. p 389.* habet, dum ait: *Sunt ſemina diverſæ naturæ. Qvædam n. niſi diligenter aſſerventur & colantur vim ſeminalem & animam amittunt. Alia verò, etſi corrupta videntur, tamen in ſucco qvodam vel Atomis vis ſeminalis manet:* Qvod v. efficacia anſeres iſtos producendi mari inſit naturaliter & propriè competat, qvod *Boëthius* intendere videtur, unde & mare Patrem rerũ â Marone & Homero haut temerè appellari dicit, illud eſt, qvod nos minimè admittendum cenſemus, neq; qvod Poëtis, illud Philoſophis etiam largiendum eſſe arbitramur. Nam *primò* novimus ex hiſtoria Creationis, qvam diviniſſimus Amanuenſis Moſes reliqvit, qvòd non tantum omnes Plantæ, ſed etiam omnia Bruta ſecundum ſuam ſpeciem beneficio ſeminis ſeſe multiplicare debeant, ut nimirum ſpecifica ſimilitudo intercedat inter cauſam & effectum, qvod & nos ſupra adduximus. Si igitur hoc eſt verum, uti veriſſimum, qva ratione aqva ſeu marina ſeu alia, qvæcunq; demum ſit, producet brutum qvoddam volatile, â qvo toto genere differt? Qva ratione ſtabit & hîc ſpecifica inter cauſam & effectum ſimilitudo, qvæ in generatione & hodiè ſtare debet, ſiqvidem non putandum eſt, natu-

ram

ram â facie iſtâ, qvam ſemel conſtituit Conditor ſapientisſimus, immutatam eſſe, prout *Avicenna in opere, qvod de diluv.* parum felici auſu *condidit*, deliravit, aſſerens, *poſt immenſas terrarum inundationes humano ſemine nullo, ſed ex tabidis tantùm cadaveribus, cœleſti ſolùm præſtante influentiâ, hominem & cætera animalia generata eſſe, propterea ad hominis generationem non ſinûs, aut cæteros locos neceſſarios eſſe, ut meliùs formetur infans. V. Job. Baptiſt. Port. l. 2. Mag. Nat. c. 1.* Delirium hoc eſt. Conſtat ſibi Naturæ ordo & adhuc, prout ſemel conſtitutus eſt. Nec eſt, qvòd qvis hic dicat, ſtatim in primâ creatione mare produxiſſe aves. Nam reſpondemus non confundenda eſſe *ſupernaturalia* cum *naturalibus*, aliud eſſe *mundum conſtituendum*, aliud *conſtitutum*, aliud *primitùs creatum*, aliud *propagatione conſervatum*. Voluit Deus ter Optimus ex materiâ infœcundâ, & ad talem effectum producendum ineptâ naturaliter, efformari corpora naturalia, ſed ſtatim â creatione & cum eâ communicavit illis omnibus naturalem multiplicandi ſe aptitudinem Omnipotentisſimus Architectus, qvam & hodiè in ſuo gremio fovent, nec ex alieno fundo mutuari, vel potiùs emendicare neceſſe habent.

§. 12. *Deinde* mare nullâ animâ gaudet: Qvâ ratione nunc alteri illud dabit, qvod ipſum non habet? Eſſet hoc modo aliqvis effectus nobilior ſuâ causâ, qvod tamen hactenus ab omnibus ſanioris mentis Philoſophis negatum eſt, qvùm omne illud, qvod effectus habet, cauſæ debeat; Qvòd verò omne vivens, qvale eſt *avis Britannica*, nobilius ſit atq; perfectius Non-vivente ex communi Philoſophorum ſententia, ut vocant *Conimbric. l. 2. de Cœlo qvæſt. 6. art. 1.* palam eſt, ſimulq; approbatum. Nec facilè qvis reperietur, qvi affirmabit, mare animâ præditum eſſe. *Præterea* modus, qvem varium in producendâ iſtâ ave *Boëthius* facit, valdè ſuſpectus eſt. Primò vermes perfectam avis formam nondum habentes, in ligno, qvod in mare projectum fuit, naſci, adductis hiſtoriis probare ſatagit, qvos demum anſerum magnitudinem & cœlum petere dicit. Sed ponamus, ejusmodi vermes in ligno naſci, qvi ſingulari qvadam formâ præditi ſint, nondum tamen ſeqvitur, eos vermes avem eſſe, qvam Scoti Clakis nominant, & de qva nos loqvimur. Nec credibile eſt, vermes in anſeres, vel ſi magis places, in anates excreſcere. Secundò dicit, ſe iſtas aves in con-

chis incluſas vidiſſe. At vidit Boëthius animalculum alatum in conchis, qvod ei concedimus, non tamen vidit iſtud ad anſerum genus ſenſim tendens. Qvicqvid tamen ſit, ſeu vermis ſ. Bernicla, ſ. aliud qvoddam animalculum fuerit illud, qvod ſe vidiſſe ſcribit Boëthius, negamus virtute maris propriâ productum eſſe. Neq; audiendus *Gvilelmus Rondeletius*, qvi dicit: *Qvemadmodum terra ſtatis temporibus ſine ſemine, ſine ulla hominum opera, ſed ſponte & vi ſuá ſtirpes herbasq; multas & animalia procreat ac profert: ſic mare aliaq; aqvæ multa & varia gignunt, eoq; magis, qvo humoris natura ad fingendum formandumq; habilior eſt, qvàm terræ.*

§. 13. Qvod inſuper *Lobelius* & *Mayerus* de conchis, in qvibus juxta illos Avis noſtra usq; ad excluſionem latitat, proferunt, illud de ovis avium optimè intelligi poſſe putamus. Dicuntur enim conchæ ferè rotundæ, albidæ & leves &c. qvæ conjecturam noſtram probabilem faciunt, qvâ qvidem non opus eſt ſi ea aſſumuntur, qvæ *Carolus Cluſius* in Auctario Exoticorum ap. Deuſingium diſſert. de anſer. Scotic. n. 48. ex *Hoiero* ſcribit: *Clacks ſ. Clackgees Scotis, Barnacles Angelis, Rotgees Hiertlandis avis eſt per autumnum hyememq; duntaxat conſpicua, formâ anati vicina. Hujus natalitia cum ignorarentur, factum eſt, ut vulgus primum illud protoplaſma ſ. rudimentum cenſuerit eſſe teſtas qvasdam albicantes adnatas truncis ſ. fragmentis ligneis, qvæ maris fluctibus in arenam littusve propelli ſolent, ubi ligna aliàs non creſcunt, & formam aviculæ iſtius qvodammodo æmulantur. Unicam tamen & omnibus modis abſolutam avem ex maſſâ illâ teſtaceâ evaſiſſe aut prodiiſſe nemo eſt inventus, qvi ſe vidiſſe aſſerere auſus fuerit.* Hæc *Cluſius*. Cæterum ſententia, qvam Viri docti, referente *Scaligero*, de conchâ Franciſco Regi allatâ, tum temporis tulerunt, ac ſi oſtreum ipſum in aviculam mutatum ſit, falſa omnino eſt. Qvis, enimvero rectiùs ſecum reputans, talem admittet Metamorphoſin, qvâ oſtreum mutetur in avem, qvoad formam internam & externam perfectam, & ſecundùm eam mutationem inde â ſuis principiis inferat.

§. 14. *Ultima*, qvam nos retulimus, ſententia fuit ea, *qvâ nonnulli ortum Avis Britannicæ ad putredinem referunt* adeò, ut nullam aliam cauſam proximiorem deſignare videantur, qvam illam ipſam putredinem, qvemadmodum etiam Peripatetici nonnulli, aliorum, in qvibus generationem æqvivocam obtinere dicunt, origi-

originem aſſignant putredini. Sic vermes in rebus putridis, caſeis puta, carnibus, cadaveribus generari dicunt. Sic mures qvosdam ex putredine naſci, Aldrovandus, cujꝰ verba ſupra legenda propoſuimus, haut obſcurè tradit. Verùm enim verò, qvantum putredo præſtet, facilè intelligitis, qvi nullis, qvas autoritati debet, falſis præpeditus eſt opinionibus. *Diſpoſitivè* qvòd putredo concurrat, non ad generationem qvidem animalium imperfectorum, qvippe, qvæ jam dudum peracta fuit, ſed ad formæ ex materiâ emerſionem & operationem, nemo inficias iverit; concaleſcentibus ſcilicet partibus anima vermiculi inſtrumentum ſuum nacta exſerit ſe, jugo ſuperioris formæ excuſſo, cui hactenus, ut ſubordinata, aut ut plurimùm ut accidentaria ſaltem ſubfuerat, & ita putredo aliqvid præſtat, non qvatenus putredo, ſed qvatenus calor ei comes eſt: Qvod v. efficiat vermes putredo, tanqvàm cauſa principalis, nobis perſvadere non patimur. Qvid enim eſt putredo? Eſt accidens, qvod ſubſtantiam producere non poteſt. Eſt inanimatum qvid, qvod animatum efficere non valet. Prout igitur negamus, ullos vermes vel animalia imperfecta ex putredine naſci, ita etiam non concedimus, Avem, de qva diſſerimus, exinde oriri, & qvidem tantò magis, qvantò longiùs recedit â naturâ eorum, qvæ aliàs imperfecta â plurimis Peripateticis dicuntur animalia.

§. 15. His refutatis opinionibus, qvantum qvidem integrum nobis fuit, ea, qvam nos tenemus, ſententia facilè apparet. Putamus nempe, Avem Britannicam nec ex ipſo mari, nec ex arboribus, nec ê putredine, nec ex alio qvocunq; demum alieno principio originem trahere, ſed inſtar aliorum animantium â ſui ſimili per generationem univocè ſic dictam procreari, adeoq; ſpeciem ſuam integram & ſalvam ſervare, prout Autor Naturæ voluit, ut qvodlibet animans ſecundùm ſuam ſpeciem ſeſe multiplicet. Hujus noſtræ ſententiæ argumenta facilè erui poſſent ex illis, qvæ huc usq; in medium ſunt prolata niſi breviores lineæ ducendæ eſſent, & illæ cuilibet ad oculum apparerent. Breviter ſaltem nonnullorum teſtimonia, qvibus manifeſtiùs evadet, *Avem Britannicam non aliter qvàm â ſui ſimili per coitum generari*, adducemus. Audiamus *Albert. Magnum l. 23. hiſtor. animal. ap. Geſner.* hæc ſcribentem: *Barbatas aves falſo qvidam nominari dicunt vulgò*

Baum-

Baumgäns *(ie anſeres arboru[illegible] eò qvòd ex arboribus n[illegible]ſc[illegible]tur e cortice & ramis dependentes, & ſucco, qvi inter corticem eſt, [illegible]rianeur. Dicunt etiam aliqvando ex putridis lignis hæc animalia in mari generari præcipuè ex abietum putredine, aſſerentes, à nemine has aves viſas coire vel ova parere. Sed hoc omninò abſurdum eſt: Ego enim & alii complures mecum videmus eas coire & ova fovere, & pullos alere.* Audiamus *Gerhardum de Vera & Batavos*, qvorum verba adducit *Schottus l. cit. p 1152 h.m. Tum remigantes ad Inſulam, qvæ media erat, in ea multa ova Berniclarum, qvas Hollandi Rotganſen appellant) & ipſas nidis incubantes invenimus, qvæ fugatæ clamabant Rot, Rot, Rot (unde illis nomen) & lapide jacto unam occidimus, qvam coctam edimus cum circa ſexaginta ovis, qvæ in navem detuleramus. Iſti anſeres ſeu Berniclæ fuerunt veri anſeres, Rotganſen dicti, qvales magnâ qvantitate ſingulis annis circa Wieringen in Hollandia veniunt & capiuntur, qvæ hactenus ignoratum fuit, ubi ova ponerent & pulſos educarent. Hinc factum, ut nonnulli Autores non veriti ſint ſcribere, qvod in Scotia in Arboribus naſcantur, è qvarum ramis ſuper aqvam expanſis, ſi fructus in aqvam decidant, anſerum pullos gigni, qvi ſtatim natant, qvi verò in terram, corrumpi, nec ad frugem pervenire. Qvod falſum eſſe nunc apparet. Nec mirum, hactenus ignoratum eſſe, ubi hæ aves ova ponerent, cum nullus (qvod compertum ſit) unqvam ad octuageſimum gradum pervenerit, nec ea regio illo loco unqvam fuerit cognita, multo minus anſeres illi ovis incubantes. Hæc Gerhardus de Vera & Batavi.* In qvibus tn. præprimis notandum eſt, qvòd dicatur, nullum anteà anſeres vidiſſe illos ovis incubantes, qvùm tamen Albertus diu ante viderit anſeres illos coëuntes & ova excludentes & incubantes pullis, qvamvis non in remotis illis regionibus. Unde autem tot falſæ perſvaſiones, & tot Autorum contrariæ ſententiæ ortæ fuerint, qvodammodo explicat *Deuſingius differt. de Anſer. Scot. num. 47.* & cum eo *Schott. loc cit. pag. 1157.* qvi tamen animalcula illa alata, qvæ aliis pro Anſeribus Scoticis agnoverunt, ſpontaneo ortu genita dicit, adeoq; ipſe generationem qvandam æqvivocam ſtatuit, qvod ipſum nos qvóq; approbare non poſſumus. Firmiter enim nobis animo perſvaſum ſedet, qvodlibet animatum â ſui ſimili progenerari.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM[illegible]

TANTUM.